

1589

cum Baduario legato acriter conqueritur , hominem diris devo-
 tum , hæresi inquinatum , Galliæ Regem renunciatum fuisse .
 Orator , ab assueto inter Principes instituto abstinere Senatum
 minime potuisse , respondet : jure gentium receptum , ut mu-
 tuis officiis Regum amicitiæ alantur , cum præsertim non ad
 religionem , sed ad politicum regimen , regnorumque statum
 spectantia pertractentur : id vero minus vitio verti hoc tem-
 pore Reipublicæ debere , quod Rex ad catholicam religionem
 tuendam publico se jurejurando obstrinxisset : an illum parvi
 facere , an spernere , an stirpis regiæ Principes , quibus Galliæ
 incolumitas niteretur , negligere , atque ad desperationem red-
 igere Senatum oportuisse ? Baduarii rationibus haud parum
 commotus Pontifex , Patres , ut tempus officiis ac verbis ex-
 traherent , atque in neutram partem propenderent , hortaba-
 tur ; veterem majorum prudentiam imitarentur , qui Principum
 amicitias colendo , neque magis uni quam alteri favendo , Rei-
 publicæ libertatem atque amplitudinem summa cum gloria re-
 tinuerant atque auxerant : id ipsum quoque se facturum affir-
 mabat ; quid Navarræ Rex moliretur observaturum ; ex even-
 tuum temporumque conditione firmiora consilia capturum .

Ab Henrici porro obitu , Navarræique successione omnes
 catholicos Principes in illum conspiraturos , undique auxilia
 confluxura , Romæ consilia emanatura , seque principem ac
 moderatorem expeditionis futurum , sibi Xystus persuaserat .
 Verum quot difficultatibus implicitum negotium , quot quan-
 taque secum traheret , cito patuit ; divulgæ Principum volunta-
 tes , diversæ factiones , prout quisque sibi ex Galliæ regni muta-
 tione consuleret , sejuncta consilia . Id unum inter has ambigui-
 tates Xysti animo fixum atque immotum sedere videbatur , ut
 veteri imbutus religione Rex in Gallia esset ; neque se aliud posce-
 re , nihil in votis habere , ajebat , quam ut in pernobili Christia-
 nissimoque regno inviolata atque illibata religio catholica ser-
 varetur . Interea foederati Diensem commendatorem Romam
 miserant , qui de præsenti Galliæ statu Pontificem doceret ;
 copiarum , pecuniæ subsidia peteret . Carolus quoque Lotha-
 ringius , in spem regni prisco gentis suæ jure evectus , auxilia
 flagitabat . Gallos , Germaniæ Principum plerosque , Bajoariæ ,
 Menapiorum Duces , aliosque fautores atque adjutores habi-
 turum

Galli fæde-
 rati Com-
 mendato-
 rem Dien-
 sem ad
 Pont.
 missunt .

Xystus
 Pont. de of-
 ficio Sena-
 tus ad Hen-
 ricum con-
 queritur .

Baduarii
 oratori
 responsu.